

ANNOTATA ANTI-GROTIANA

“ In omni re honos penes dantem, non penes accipientem. Sunt  
 “ autem & meritò dicuntur χαρίσματα. Etiam si dona habereris Apo-  
 “ stolica (multum autem id adest) tamen ipsorum donorum nomen,  
 “ modestos vos facere debuit. DEus dedit in suos usus, non in tuos.

“ εἰ ἢ ἔλαβες, τί καυχᾶσαι ὡς μὴ λαβών;

“ Quid in eo tibi places, tanquam tuo labore tibi parasses? Docto-  
 “ res maximè tangit.

Sic etiam alii nonnulli censent hæc adversus doctores dici, qui schismatis causa fuerint. Theophylactus, præeunte Chryostomo; Rursum in Corinthiorum doctores invehitur, inquam, quis te discernit, & dignum laude judicavit? annon homo? At fallit humanum iudicium. Concedatur ut in te sit aliquid laudabile, id tamen haud quaquam dixerim tuum esse, sed Dei dono concessum. Idquæ non tuo aliquo vel merito, vel officio accepisti. Si it. quæ accepisti, quid gloriaris, & jactabundus intumescis, quasi nihil acceperis, & credis potius, ex te illud, & propriis laboribus peperisse? Non etiam quæmquam decet, ut in his, quæ acceperit, insolescat, quippe quæ aliena sunt, & ab aliis collata, non per se parata. Quos sequutus est B. Hunnius noster, ut & B. Weinrichius. At nullum apparet variationis personarum indicium. Eisdem enim, quos reprehendit, quod dicant, se alii Pauli, alii Apollo, compellat. Et cum inflati sapientia, iudicium sibi arrogarint, ad humilitatem eosdem revocat: Ponens veluti, præ aliis eos iudicandi facultate pollere, ut sibi præ aliis sapere videbantur, & alter adversus alterum sese efferebat. Unde nec Erasmi sensus assensum meretur, quasi disputet adversus illos, qui se cæteris præferebant, quod essent à præcipuis Apostolis baptizati. Nec Beza interpretatio: Qvis te ἀγγέλει, id est, segregat, aut eximit à collegarum grege, quasi sis tu quodpiam aliud in Ecclesia, quam tui in eadem functione collega. Expungebat enim quodammodo cæteros pastores, qui sese adversus eos efferebat, ut sibi emineret. Ideo Bezam deseruit Pareus monens, hanc apostrophem, non ad falsos doctores, (ut aliqui putant) sed ad inflatos Corinthios generatim esse directam. Ita & B. Balduinus nec non B. Hülfemannus; Qui etiam notat; subjecta ab invicem discretæ non spectari hic tanquam electos & reprobos, sed tanquam diversorum magistrorum discipulos, qui tamen omnes ad vitam æternam contendebant, omnes saturati, ditati, & regnum jam adepti credebantur certè præsumptivè jam in statu gratiæ e-

rant